Thèse medico chirurgicale





DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS; manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis decimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. HENRICO-JOANNE BAGET, Doctore Medico, Præside.

An recenti vulnere nudatis ossibus, Exfoliatio? ×

I.



MOS fuit, nondùm ita antiquus, vix antiquatus vulnera quò majora eò diuturniori committere suppurationi; antequàm spontè (id enim sola facit natura, modò non impedita) coalescere finerentur. Errorem (artis-ne dicam an artificis?) correxit sagax experientia. Ossium quàm carnium fortuna tunc temporis non melior. Si altiùs adacto vulnere videndam se fortè præbuerat pars ossis aliquanta, non nisi visæ portiunculæ osseæ excidio piandum nefas. Quod voluere patres, volumus nos quoque;

× Cette thèse devrait être immédiatement précédée de celle des Mariniers: « An mammarum cancri ferro tutior quam causticis ablatio » (Cf. Comment. De Varnier. p. 13) qui existe d'ailleurs à son rang dans le dernier vol. de la Collect. [illegible] - et dans l'autre recueil aux couverture

obtinemus ratione diversâ. Nolumus (ut illi nolunt) partem adulteratam prœmaturâ obducere cicatrice. Hoſtem intùs ſuſcipere inſanum foret. Conſtat igitur inter illos & nos, tunc tantùm eſſe promovendam oſſium Exfoliationem ubi aliquid vitii contraxerint.

I I.

EX verò carnearum fibrarum & oſſearum conditio non diſpar. Illæ, ſi ſphacelò contaminatæ, ferro quantùm potis eſt ocyùs abſcindendæ. Sic hæ, ſi carie mortiferâ adulterentur, in Medicinâ quis hoſpes adeò qui neget illicò ferendam opem radulâ (igne ſi ſiverit locus) Balſamicis, Antiſepticis vulneri leviter applicitis, fomentis reſolventibus, ſpirituoſis exteriùs admotis; ac præſertim longâ & patienti morâ, ſi inter tendones, aponevroſes, & contignationes oſſeas clàm ſerpere deprehendatur carioſa lues? His enim in caſibus natura tacitè ſæpè & fauſtè eò magis operatur, quò blandioribus adjuta topicis, minùs cogitur, & propriis viribus permittitur. Inde ſæpe videre fuit laminas oſſeas è locis omni arti & artifici imperviis, quaſi Deum ex machinâ ſeſe ex improviſo prodere, ex altioribus oſſium compagibus, ex interioribus faciei, carpi, tarſi, &c. latebris, & ſymptomatibus diris illicò finem facere. Et poſthàc quiſquam auſit Exfoliationem oſſium quæ nihil quicquam vitii contraxerint, ideò tantùm proponere, quià obiter tantùm aëris contactum, recenti vulnere, experta fuerint.

I I I.

UT fibrarum carnearum ſic & oſſearum fibrarum vitium non eſt unicum. Oſſa ſcorbuto molleſcere viminis inſtar notum eſt lippis & tonſoribus. Carie longâ exeſa frangi, haud ſecùs ac vitrum, ſcorbutica lues ſeu venerea, cauſa eſt non infrequens. Oblita prioris formæ turpiter & ridiculè in inſuetas mille, ſus deque, contorqueri figuras, Rachitidis ludus haud inſolens. Fæda protuberantium exoſtoſεων familia, pœnitendæ ſiphilidis aut ſcrophularum infauſta progenies. Verùm è longinquo trahunt natales diverſa hæc ſymptomata; nec, fungorum more nata, œconomiam humanam laceſſunt ex improviſo. Quì igitur in oſſibus recenti vulnere nudatis, ſic conſpecto tenùs aëre naſcerentur, hoſtes repentini? Certè longioris moræ opus eſt oſſis nudati alteratio, nec tàm brevi tempore tantùm vitii contrahere poteſt, ut amandationem illius natura moliatur, aut repoſcat ab arte.

I. V.

AT, inquies, oſſa poſſunt rumpi tranſverſa, ſecundùm longitudinem fiſſa dehiſcere, directè aut obliquè cædi, diſſilire in fragmenta, collidi, deprimi, contundi, nudata aliquamdiu exſiccari, imò livere. Hæc ſunto propria recentium vulnerum ſymptomata! Sunto. Hic amplus procurandæ Exfoliationi locus! Nullus. Vivis partibus conſule, demortuas & avulſas ociùs abige, dubias aut ſinceras citò citiùs obtege. Oſſa quidem tranſverſim rupta aut in longum fiſſa ac dehiſcentia vulnus faciunt complicatum. At ſemi-rupta tranſverſim, quid impedit quominùs lapſu temporis, quiete, & otio (ut rupta ſolent) coaleſcant? Si dehiſcant quid tunc Exfoliatio? Præſtantiori auxilio opus eſt. Tunc altiùs ſuprà fiſſuræ initia reſecandum eſt membrum. Damno partis ſalvum fac caput hominis. Fragmina obvia tolle: latitantia ne quæras malè ſollicitus. Moræ uſuram reddet cum fœnore prudens expectatio. Oſſa ſi graviter colliſa, aliò te converte. Si leviter, cave ab Exfoliatione. Majus ab arte quàm à morbo periculum. Depreſſionem in Diploïcis oſſibus curant punctura & aliæ artes. In omnibus natura totum opus ſæpè ſola conficit. Oſſium

cæsorum directè aut obliquè ut carnium coalitio ipsius ejusdem juris cur non esset ? Quid si tantummodò liveant, propter tardiorem aliquot horarum moram, seriorem que curationem ab inflicto vulnere, idcircò corrupta judicabis ? Æternæ trades Exfoliationis operæ ? Absit; nimiùm ne crede colori. Non adeò celeriter, non tàm citò corrumpuntur ossa. Dandum naturæ plurimùm : tempori dandum non minùs. Sedulò convenientibus, ut artis est, obtege. Diei consilium dabit dies. Reducta super vulnus cutis divulsa Balsamum præpotens afferet. Deficientem supplebit plumaceolus spiritu vini imbutus aut siccus : nudæ soli ossis parti applicitus, superimpositis levioribus Balsamicis ; non neglectis, pro re natâ, circùm fomentis emollientibus, resolventibus, spirituosis ; minùs adhuc omissis diætâ, sanguinis missione, quiete, & congruo victûs regimine. Sic reviviscet quæ livorem à conspecto duxit aëre pars ossea. Non sic, non sic putrefiunt illicò, recenti vulnere, nudata ossa. Testes appello, quotquot non hâc in urbe solâ, sed in toto orbe, Chirurgi nomen merentur. Quotiès in complicatis vulneribus cum fracturâ rupti ossis extrema in conspectum venêre, nihil antiquius habuerunt quàm illa simul componere, in locum reducere. Natura cætera præstitit sola. A simili, in operationibus Bubonoceles, quid vulgatius quàm intestinum lividum ac pœnè sphacelo sideratum reponere ? Quid & iners illud ac merè passivum viscus Epiploon quotiès aspectu fœdum, meliùs abscindendum, attamen quale erat remissum in proprias sedes revaluit ? Utrobiquè cum successu. Iterùm, iterùm non sic corrumpuntur ossa, aëre conspecto. Non tàm citò quid vitii contrahere valent, ut illorum imminutionem natura moliatur per se aut ideò artis opem imploret.

V.

AER plagis infensus ! fatemur. Lædit fibras carneas, lædit osseas itidem. Nocet succis utrobiquè contentis. Hi acescunt facilè : illas intercepto liquorum circuitu in putredinem pronas, si pateant aëri, jam jam exedet sphacelus aut caries ! Acido illo universali ac primigenio quo turget aër nihil exitiosius ! Ominosa verba & grandia. Exitiosum plagis aërem puto. At non ita qui valeat tam brevi temporis spatio omnia pessumdare. Ac ut sileam mutila diversa animalium, volatilium terrestriumque genera, quorum ossa & carnes benigna omnium parens natura & callo & optimâ cicatrice obduxit, frustrà reluctante acido illo deleterio aëreo ; experientiam tantùm humanam invocare liceat. Dum Chirurgi veteres os quodcumque plus minùs nudatum volebant exfoliatione mulctare, quot menses dicam aut annos oportuit, antequam ossis exteriorem eamque levem bracteam potuerint obtinere ? Nullibi igitur gentium exfoliationi erit locus ? Parce verbis, iisque contumeliosis. Unam postulas, duplicem concedimus. Una crustam dimittit ; altera insensilis, resolutione, ac oculos fallente exudatione, aut, si vis, interdùm suppuratione evanescit. In priori ad instar fibrarum carnearum sphacelo obductarum, in quibus vivens & vegeta pars succo laudabili turgida exsuccam marcidamque spontè dimittit partem demortuam, pars ossea sana ac vivida & succo plena ultrò depellit fibræ partem osseæ exsuccam, detritam, aridam & succo alibili imperviam. Sic, ut carnis vivæ à demortuâ, fit & ossis viventis ab exsucco cortice necessaria & mechanica separatio. Carnes omnes lividæ non ideò conclamatæ habentur. Trans vasa pellucida pervidetur succus interior jam putrescens. Calore leni, Balsamicis, &c. priori redditur fluiditati : oscillant liberè jam solida illæsa ; redit vigor. Cum fibris osseis ne credas iniquiùs egisse naturam. Jurares perditas. Levi & insensili perspiratione, resolutione, (si vis suppuratione,) vidi salvas sanasque fieri. Nisi proximâ & quâ nihil propius maximè proximâ desquammatione, ociùs ægras partes contege. Cicatrix dubia pro apparatu curationis saluberrimo habeatur, si constet

cruftæ aut fragmenti offis non ante menfes exitum effe fperandum. Non infeliciùs occultè operabitur natura quàm in aprico, imò minùs operosè & celeriùs tunc viam fibi parabit, quâ procùl arceat hoftem & foràs amandet. Si cruftam; vulgò per medias ipfas carnes, per mediam cutem, quam fciet elegantiùs perforare quàm faceret Chirurgus peritiffimus, nullo ferè fuperftite relicto cicatricis veftigio. Si refolutione; per vias inteftinales, urinarias, circuitûs fanguinei mediante operâ. Quafi novum effet in hifce cafibus apud Medicos encoremata & hypoftafes urinarum, aliaque excrementa *judicatoria* obfervaffe. Pronuntiare igitur ne dubites,

Non, ergò recenti vulnere nudatis offibus, Exfoliatio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus DESBOIS DE ROCHEFORT, *Eques, Cenfor Regius, è Regiâ Societate Medicâ Parifienfi pro Epidemiis inftitutâ.*

Henricus-Joannes BAGET, *actûs Præfes.*

M. Michael-Jofephus MAJAULT, *antiquus Regis Exercituum in Germaniâ Medicus.*

M. Joannes-Francifc.-Achilles DE LA LOUETTE, *Eques, è Regiâ Societate Medicâ Parifienfi pro Epidemiis inftitutâ.*

M. Carolus-Jacobus SAILLANT, *è Regiâ Societate Medicâ pro Epidemiis inftitutâ.*

M. Gafpardus COCHON DU PUY, *Regii ordinis Eques, Regis Confiliarius, & in Arce Maritimâ Rupiforten. Anatomes & Chirurgiæ Profeffor Regius.*

M. Jofephus COTTON.

M. Theobaldus NIZON.

M. Jacobus-Albertus HAZON.

Proponebat Parifiis JOANNES-BAPTISTA-CLAUDIUS JEANNET DES LONGROIS, Arcyanus apud Tricaffinos, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1778.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerfitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1778.